



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Mansuetudo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

Sed absoluamus caput hoc exemplo. Gregorio Decimo quarto Summo Pontifice grauissimè æger cum esset, cyathum succi gallinacei, quem manu tenebat, ori nūquā admouere potuit; namque repentina de Christi Domini nostri morte cogitatio adeò eius perculsit animum, vt illico magno cū lacrymarū imbre clamaret: Tu mi Christe, Tu, qui Dominus es, in cruce, ego qui seruus, in lectulo! tu sine ministris, consolationibus spoliatus in cruce pendes, ego hic in lectulo iaceo tot stipatus filijs, qui mea solius solliciti sunt causa, vt me vnum expleant! & hæc cū diceret, lacrymas, quæ vbertim ex oculis manabant, fletumq; cum singultibus cohibere non poterat.

Mansuetudo.

EA erat animi mansuetudine, vt irasci nesciret: suos, aliosque vbi opus erat, maxima lenitate,

dexte-

dexteritateque corrigebat: ad eam quidem, vt vno verbo absoluam, animi moderationem deuenerat, vt ipsos iræ motus compresserit, vicerit, compressosque in sua habuerit ditione, ac potestate.

Siquid præciperet, rogati similior erat, quàm iubenti; nihil enim asperè imperabat: quippe iubere sic solitus erat: hoc agito: fac amabo te isthuc: hoc ego pro te faciam, si tibi graue videtur; vellem tibi hoc munus imponere, quid respondes?

Amicos tam domesticos, quam externos ita læto intuebatur vultu, vt vel ex hoc vno quiuis facile cognosceret, quæ esset eius erga omnes humanitas, quæue mansuetudo. Vultus hilaritate omnium ad se animos comitatis dulcedine adiuncta alliciebat.

Cum ijs, quibuscum erat, iucundos semper, gratosque miscebat sermones. Verùm in his reb⁹, quod arduum est, id à Domino munus

acce-

acceperat, vt quicquid vel faceret,
vel diceret, totum sanctimoniam
redoleret,

Prudentia.

1. Corin. 4.

ORnauit Deus Philippum sum-
ma prudētia, quæ maxime re-
bus ad Dei gloriā agendis, atq; con-
siliis dādis eminebat. Hanc ille vir-
tutem vt occultaret, simplicem se,
stultumque simulabat, vt tandem
cum Apostolo diceret: Nos stulti
propter Christum. Hoc ergo vnum
manibus, pedibusque obnixe co-
nabatur, vt summam prudentiam
specie quadam assimulatæ simpli-
citatē, atque stultitiæ tegetet.

Tanquam ad magistrum, ducem,
auctoremque consiliorum ex omni
hominum genere ad ipsū conflue-
bant quotidie: Illum è prima nobi-
litate viri, illum Religiosi, illum
Principes de rebus grauiſſimis, ac
plane difficillimis consulebant.

Consilia, quæ ille dabat, non pru-

dentia